

nam et verba generalia ad eam partem hæreditatis, quæ est vendita, referri debent.

Si instas : Dicta L. 2. §. 4. simul dicitur, non tantum restituendum esse emptori, quod jam pervenit ad venditorem; sed etiam quod postea quandoque pervenerit; ergo et portio deficiens cohæredis postea ad venditorem pervenientis ei debet restituī.

R. D. iterum ut ante. Restituendum esse emptori, quod postea ad venditorem pervenerit respectu partis venditæ, sive quod ad hanc adhuc ex hæreditate pertinet C. Secus N. Etiam hic §. 4. ad hanc partem restringi debet; non autem restituendum est id, quod aliunde et ex diversa hæreditatis parte, scilicet ex jure accrescendi accessit, vel accrescere potuisse; cum nunquam de hoc jure vendendo cogitatum fuisse, inde pateat, quod in contractu venditionis circa pretium nulla sit habita ratio hujus argumenti, quod primum postea, et non ex vendentis arbitrio supervenit. Praeterea iniquum foret, si in casu, quo tibi instituto in uncia alterius cohæredis, vel plurium etiam cohæredum pars accresceret, tota hæreditate carere deberes, nulla alia ex ratione, quam quod pro modico pretio secundum quantitatem tibi delatam constituto simul hanc, totumque jus hæreditarium a te abdicasse, ac in emptorem transtulisse censereris.

166. *Obj. II.* Portio vacans sequitur alluvionem ac portioni accrescit, non personæ, L. 33. §. 4. in fin. ff. de Usufr.; ergo debet sequi emptorem, penes quem existit prior portio, non venditorem. Si enim, quod per alluvionem accedit, ad compendium pertinet emptoris, L. 7. de peric. et commod. rei vend. etiam id, quod jure accrescendi accedit, ad commodum emptoris pertinebit, quia, ut dictum, jus accrescendi sequitur alluvionem.

R. 4º. N. quod in cit. L. 33. Jurisconsultus jus accrescendi simpliciter tribuat portioni, quasi huic competit, eamque sequatur, ut jam supra num. 162. ex hac L. observatum; sed illud personæ tribuit ejus, sive hæredis, sive legatarii, qui portionem suam agnoscit, atque ex testatoris voluntate obtinuit, et in hoc ponit differentiam fundum inter et usumfructum fundi conjunctum legatum; nam fundi legati pars deficiens tantum ei accrescit, qui legatum hoc ex testatoris voluntate agnoscit; ususfructus vero conjunctum legati pars deficiens etiam partem suam non agnoscendi accedit.

R. 2º. Quod portio hæreditatis vendita suo modo remaneat penes venditorem, ratione juris hæreditarii, quod etiam vendita hæreditate penes hæredem manet, et loco portionis fungitur, eamque repræsentat; venditis quippe rebus hæreditariis, non ideo venditum fuit *jus hæreditarium*.

167. *Obj. III.* Qui partem, ex qua hæres institutus erat, rogatus fuit restituere, huic non accrescit portio deficiens, eo quod rem non habere videatur, quam portio vacans sequitur, L. 38. ff. de acquir. vel omitt. hæred. ergo nec vendori hæreditatis debet aliquid accrescere, cum et iste rem non habere videatur.

R. N. *Causal. Ant.* Sed juxta L. 38. cit. portio deficiens ideo hæredi instituto non accrescit, quia interponendo fidem de hæreditate incapaci restituenda ipso jure hæreditario se indignum reddidit, adeoque privandus erit omni commodo, quod alias beneficio legis, aut ultimæ voluntatis consecu-

turus fuisse, ut proin nihil ei accrescere debeat, quia et illud, quod jam accrescit, ei tanquam ministro fraudandæ legis anfertur, et fisco applicatur, L. 1. 3. §. 42. ff. de Jur. fisc. Idem responde ad L. 43. ff. ad S. C. Trebell. nam et hic, qui compulsus hæreditatem adiit, eamque restituit, nec portionem, nec jus hæreditarium habere videtur, quod omni commodo indignus habeatur, qui supremas defuncti preces destituit. L. 53. §. 3. ad S. C. Trebell.

168. *Obj. IV.* L. 2. §. 2. ff. de hæred. vel act. vend. vendita hæreditate patris, non censetur simul vendita hæreditas pupilli, cui vendor erat pupillariter substitutus, ex ratione addita: *quia alia hæreditas est*; ergo a contrario cum in casu nostro eadem esset hæreditas, una portione vendita, et alterea postea deficiens vendita censebitur.

R. 1º. Argumentum a contrario in jure non procedere, quoties alii textus sat clari obstant in contrarium.

R. 2º. Non infrequens esse in jure, ut leges rationes solum inadæquatas adducant, quod in casu cit. L. in specie factum videtur; nam ratio illius adæquata est, quod non aliud venditum videri possit, quam quod tempore venditionis ad venditorem pervenerat; non enim censetur contrahentes de eo cogitasse, quod postea primum supervenit tempore venditionis adhuc ab incerto dependens eventu. Ac sic ea ipsa lex potius in confirmationem conclusionis servire posset.

ARTICULUS V.

QUID SUCCESSIONE AB INTESTATO? QUO ORDINE FIAT?

Nota. Rigidior erat ordo successionis ab intestato, spectata dispositione juris antiqui; qui vero prope totus immutatus fuit per Nov. 418. dum Imperator JUSTINIANUS, sublata scrupulosa illa inter *suos et emancipatos, agnatos et cognatos, patrem et matrem* distinctione, successioni legitimæ novam ac simpliciorem formam dedit, totumque successionis ordinem ad tres classes reduxit, *descendentium, ascendentium, collateralium*, sic ut successionis ordo tangat 1º. descendentes; 2º. his deficientibus ascendentes; 3º. in ambonum demum defectu collaterales.

169. *Dico I.* Successio ab intestato in genere, est jus hæreditatem acquirendi sine causa testamenti, id est, dum defunctus intestatus decessit, vel quia nullum testamentum fecit quacumque de causa; vel quia fecit invalidum; vel, si validum fecit, postea irritatum, ruptum, aut rescissum fuit. Ita Jurisconsulti communiter.

Dico II. Successio ab intestato vel est 1º. *conventionalis*, seu anomala, sive dicta, quia a conventione pacientium ortum habet. Alias jure communi non permittitur, sepe tamen statuario. Concernit successionem aut *conservandam*, dum pactum interponitur ad impediendam exhaeredationem, et removendas exclusiones a successione: aut *acquirendam*, et respicit successionem vel alicuius tertii, vel ipsorum pacientium, quo spectant *pacta dotalia; unio, sive parificatio prolium; confraternitates principum; pacta*

ganerbinatus: aut *restituendam*, dum quis adstringitur ad hæreditatem vel bona restituenda alteri; aut *demum omittendam*, quo pertinent *pacta renuntiativa*, quibus, intercedente communiter juramento, successioni futura renunciatur.

Vel 2º. est *legitima*, alias proprie et in specie *ab intestato* dicta, quam lex immediate defert absque facto hominis, h. e. quando *intestatus* decessit. Et de hac hic solummodo agitur.

Vel 3º. *præatoria*, a jure *prætorio* nomen trahens, quam plerumque *prætor* concedere censebatur iis dando bonorum solum possessionem, quibus alias *jus civile* resistebat. Hoc jure succedebant liberi emancipati, in testamento *præteriti*.

170. *Dico III.* Ad successionem ab *intestato* vocantur *primo descendentes*: adeoque patri et matri præmortuis ante omnes succedunt liberi *naturales* et *legitimi simul*, sive ut aliis dicere placet, *legitime nati*, hòc est, ex *matri monio* vel vere, vel putative valido procreati, sive masculi, sive feminæ; sive *jam nati*, sive *posthumi*, id est, *concepti jam tempore mortis*, sed *nondum nati*; sive *sui*, sive *emancipati*; sive *existentes in seculo*, sive *in monasterio bonorum stabilium et successionis capaci in capita*: si vero liberi essent demortui, nepotes ac neptes, ac quidem si ex una tantum stirpe descendant, pariter in *capita*; si vero ex pluribus stirpibus, sive liberis primi gradus, *in stirpes*: *demum si unus vel plures liberorum primi gradus essent superstites*, unus vero vel plures essent demortui *relictis liberis*, hi *jure representationis* succedent in *stirpes*, priores primi gradus superstites in *capita*, Nov. 118. c. §. 6. L. 2. C. de suis et legit. liber. ac ratio est, quod *descendentibus nature simul et parentum commune votum hæreditatem tribuat*, L. 7. in fin. ff. si tab. *Testam. null. extab.*

Dixi: *In capita*: *successio in capita est*, quando hæreditas in tot partes *æquales dividitur*, quot sunt personæ succedentes: *in stirpes* vero fieri *successio dicitur*, cum tot hæreditatis *constituantur partes*, quot sunt *stirpes*, ex quibus personæ succedentes descendunt, non habita ratione multitudinis, aut paucitatis personarum, L. 2. ff. de suis et legit. *hæred.* Sic *relicti a defuncto patre liberi succedunt in stirpem*, scilicet sui patris, quando cum patrui superstitibus dividenda est hæreditas avi; ac etsi numero plures essent, quam patrui, non nisi eam tamen partem consequuntur, quæ obtinisset eorum patri, si superstes fuissent; succedunt enim tantum *jure representationis*, h. e. subintrant in locum defuncti patris, cuius personam et *jus fictione juris repræsentant*.

171. *Si quæras 1º.* Quid igitur juris circa liberos alios, qui non sunt *legitime nati*, vel *naturales* et *legitimi simul*? Ante responsonem

Observa: Præter *naturales* et *legitimos* simul varie liberos dividi. 1º. Alii sunt *legitimi tantum*, suntque *adoptivi*; iisque sunt vel *adoptati per arrogationem*, dum *extraneus*, qui sui juris est, hoc est, in *nullius patria potestate constitutus*, *adoptatur*; vel per *adoptionem specifice sumptam*, dum *extraneus filiusfamilias*, h. e. in *patria potestate constitutus adoptatur*. 2º. Alii dicuntur *legitimati* quasi *legitimi facti*, quales fieri possunt *triplici modo*; per *subsequens matrimonium*; per *oblationem curiæ principis*; per *re-*

scriptum principis. 3º. Alii *illegitimi*, ex *thora* non *legitimo nati*, suntque *rnrsrum varii*: 1. *naturales*, qui ex *femina soluta geniti instar concubinæ habita*, quibus *hodie*, post *sublatum concubinatum*, *equiparantur nati ex soluta extra matrimonium*: 2. *spurii* *juxta jus civile* (quod in materia *successionis* solum attenditur) qui *nati sunt ex meretrice publica*, h. e. quæ se *passim prostituit*, ut *proin pater sit incertus*, atque ideo *quesiti* dicuntur: 3. *nati ex damnato coitu*, sive *copula*, quam *damnat et punit jus civile*, ut sunt *nati ex adulterio*, *incestuosi*, *sacrilegi*. Nunc

R. *Adoptivi arrogati* succedunt cum aliis *legitime natis patri æqualiter in allodialibus*, L. 3. C. de legit. *hæred.* durante tamen *adhuc adoptione*, L. cit. et Inst. de adopt. Non vero *matri*; tum quia in *hujus potestatem non trans-eunt*; tum quia, quando leges de *successione* *adoptivorum loquuntur*, semper de *hac loquuntur respective ad adoptantem*, qui est *regulariter pater*, §. 2. 3. Inst. h. t. Hinc infertur, quod, si *adoptivus solus existeret*, etiam *excluderet ascendentes*; quia *succedit ut legitime nati*: sed *hi exclu-dunt ascendentes*; ergo. Sique *emancipati fuerint*, *adhuc succedunt in quartam partem bonorum allodialium*, §. 3. cit. non tamen in *feudalibus*. *Adoptivi per adoptionem specifice talem*, si non *ante sublata fuisse* per *emancipationem adoptio*, itidem *patri*, non *matri succedunt*.

Legitimati si fuerint *per subsequens matrimonium*, cum *legitime natis succedunt æqualiter in omnibus parentum bonis*, non *tantum allodialibus*, sed etiam *feudalibus*, *honoribus*, *jure retractus*, etc. *per omnia enim æquiparantur legitime natis*, cum *matrimonium subsequens a jure vim habeat*, ut *purget vitia omnia*, c. Tantas. 6. qui *filiī legit*. Si *legitimati per oblationem curiæ principis*, si *hæc facta a patre*, *huic succedunt cum aliis, alias non*, Nov. 89. c. 3.; sed *hæc legitimatio hodie cessat*. Si *demum rescripto principis*, *adhibenda distinctio est*. Vel enim *legitimatio hæc facta, antequam liberi legitimi nascerentur*, et cum his *succedunt æqualiter*, ut *volunt communissime Jurisconsulti*, *juxta L. 85. §. 1. ff. de R. I. Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt*. Et c. 73. cod. in 6. Factum *legitime retractari non debet*, licet *postea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Vel *facta fuit, postquam jam alii nati*, et non *succedent*; sed *tunc rescriptum præsumitur sub-replitum et obreplitum*, Nov. 89. nisi *princeps expresse in aliorum præjudicium legitimaverit*; quia sic non tollit aliorum *jus quæsitum*, sed *tantum restringit jus querendum*. Aut *liberis nullis extantibus*, et tunc si *legitimatio facta patre vivo*, *succedent agnatis exclusi*; si *patre mortuo*, non *succedent*, sed *excludentur ab agnatis*, nisi *ex patris dispositione facta legitimatio*.

*Illegitimi naturales succedunt matri et omnibus ex matre ascendentibus una cum *legitime natis*, L. Modestinus. 8. ff. unde Cognati. At vero *patri*, si *is uxorem legitimam, aut liberos habeat*, non *succedunt*, etsi ab eo *alimenta capiant*; *si non habeat*, *succedunt una cum matre concubina in sextante, sive duabus unciiis*; *reliquis unciiis decem ad agnatos et cognatos pertinentibus*. *Nepos tamen excluditur*, Auth. licet. C. de natural. lib. et Nov. 89. c. 12. *Spurii patri non succedunt*, cum de eo non constet; quod si *constaret*, *hodie ut naturales ei succederent*; *matri succedunt*, nisi *illustri sit*, et *aliros habeat liberos legitimos*, L. 3. C. ad S. C. Orphit. *Demum nati ex**

damnato coitu (qui in juris canonici sensu dicuntur spuri) nemini succidunt ascendentium, Nov. 74. et 89. ult. capp. sed solum jure canonico alimenta capiunt.

172. *Si queras 2º.* Quomodo parentibus succedant legitime nati, sed ex diverso matrimonio?

R. Regulariter illi ex parentibus soli, a quo procreati sunt; ut, si patrem communem habent, succedunt omnes quidem in bona patris; bona vero parentis non communis inter illos solum, qui ab eo geniti, dividenda sunt, L. 3. 4. 3. C. de secund. nupt. Dixi: regulariter; nam excipi debet, si intervenerit pactum unionis, sive parificationis prolium.

173. *Dico IV.* Si defunctus nullos descendentes reliquerit, successio defertur ascendentibus, naturalibus et legitimis simul, sic ut gradus proximiores, velut pater et mater, succedant *in capita*, non attento sexus discrimine, exclusis remotioribus omnibus, ut avis, etc. et collateralibus, praeter fratres germanos et sorores; et eorum, si quis, vel si qui essent præmortui, liberos. Nov. 118. c. 2.

Dixi 1º. *Legitimis simul*, ex quibus defunctus erat legitime natus. 2º. Ut proximiores exclusis remotioribus in ordine ascendentium omnibus; quia inter ascendentes cessat jus representandi, quippe quod ex derivatione sanguinis dependet; ascendentes autem non derivant sanguinem a descendantibus; sed hi ab illis; unde in descendantibus jus representandi in infinitum porrigitur. 3º. Porro succedunt, licet defunctus emancipatus fuerit, Nov. 118. c. 2. Licet fuerit illegitimus naturalis, modo fuerit rescripto principis debite legitimatus, Nov. 89. c. 13. Licet posthumus. Nec succedunt solum in bonis filii castrenibus, vel quasi talibus, sed etiam aliis profectiis, undecumque provenerint, modo fuerint appropriata filio. Ratio hujus contra alios sumitur 1. et principaliter ex Nov. 118. ubi sine discrimine statuitur, ut, si plures ascendentes concurrant ad successionem descendantium, æqualiter concurrant. 2. Undecumque bona provenerint, si filio appropriata fuerint, ita hujus sunt propria, ut cum aliis bonis consolidentur, et unum constituant patrimonium, unamque hereditatem, ut in simili casu dicitur L. 40. ff. de Vulg. et Pupill. subst.

4º. Praeter fratres germanos, etc. hoc est, ex eodem patre et eadem matre genitos; hi enim cum ascendentibus proximis succedunt in capita, ac, si quis, vel si qui essent præmortui, tunc relictii liberi in stirpem, vel stirpes; si vero omnes essent præmortui, liberi omnino excluduntur Nov. 118. cit. similiter nepotes fratum et sororum Nov. 117. exclusis fratribus unilateribus, h. e. aut consanguineis tantum, aut uterinis.

Demum verba Conclusionis sic sumenda sunt, ut, si pater et mater ambo concurrant, nihilominus salvis maneat ususfructus patri, si illum ante habuisset in bonis filii; is enim regulariter non extinguitur, nisi morte usufructuarii: at pater usufructuarius adhuc superstes est; ergo.

174. *Si queras 1º.* Quomodo succedant parentes liberis legitimis tantum?

R. *Adoptivis in specie*, si adoptio fuerit *plena*, utpote quae ab avo materno facta, successioni locus est, sic tamen, ut jure novo concurrat

pater naturalis; si *minus plena*, quae ab extraneo facta, non succedit pater, quia nullum jus in eum devolutum; sed tantum parentes naturales. Et sic adest casus, in quo successio non est reciproca, S. 2. Inst. h. t. STRYCK. Diss. de jure Success. ab Intest.

R. 2º. *Arrogatis* succedit pater arrogator, una fratibus aut sororibus germanis, si modo filius in puberi aetate decesserit. Mater vero hic semper excluditur, uti et fratres unilaterales, aut ex arrogatione tales. Id.

175. *Si queras 2º.* An et quomodo succedant parentes liberis legitimatis?

R. 1º. Succedunt legitimatis per subsequens matrimonium; habent enim se tales perfecte, ac qui nati legitime.

R. 2º. Etiam legitimatis rescripto principis.

R. 3º. Legitimatis per oblationem curiae succedebat pater in dodrante; in reliquo curia.

176. *Si queras 3º.* An et quomodo succedant illegitimis?

R. 1º. Quoad liberos *naturales* sequentes casus distinguiri debent: Vel enim mater naturalis adest sola; et tunc sola in naturalis filii sine legitima prole defuncti bonis omnibus succedit, §. ult. Inst. de S. C. Tertull. Vel simul adest naturalis; ac tunc mater in decem, pater in duabus succedit unciis. Vel adsunt pater, mater et fratres taliter germani, ut sint ex eodem concubinatu progeniti; tuncque pater in duabus unciis, in reliquis matres et germani fratres succident æqualiter. Vel adest solus pater; et succedit naturali filio in duabus unciis, in reliquo consanguinei, Auth. licet. C. de natur. lib. ut proinde hic iura tam patris naturalis, dum succedit naturali filio, quam filii naturalis, dum succedit patri, sint paria, sicut et inter naturalem matrem, si sola adsit, ac naturalem filium, si solus adsit.

R. 2º. Natis *ex damnato coitu* nec pater, nec mater succedit, sicut neque hi parentibus. *Spuris* succedunt saltem ascendentibus materni; non pater ob incertitudinem; quod si tamen de hoc constaret, ob spuriorum et naturallium differentiam hodie sublatam, admitteretur in sextante.

177. *Dico V.* Si defunctus nec descendentes, nec ascendentis heredes reliquerit, successio consanguineis collateralibus defertur, Nov. 118. Pro intelligendo autem horum successionis ordine

Observa I. Ex consanguineis alii dicuntur *agnati*, qui ex linea paterna nobis conjuncti sunt, sive quibus sanguine ob patrem conjungimur; alii *cognati*, qui ex linea materna, licet generaliori significatione aliquando cognati vocentur consanguinei omnes. De jure antiquo Digestorum erat differentia quoad successionem agnatos inter et cognatos, nec admittebantur cognati, si agnati extarent; jure vero Novellarum JUSTINIANI, ut dictum initio hujus articuli, sublata est haec differentia, atque agnationis et cognationis iura confusa. In feudalibus tamen illa inter agnationem et cognationem differentia adhucdum vivit, juxta dicta Cap. præc. de Feud.

Observa II. In linea recta ascendentium et descendantium gradus consanguinitatis in ordine ad successionem computantur a jure civili eodem modo, quo a jure canonico in ordine ad contrahendum matrimonium, ut utroque eadem teneat regula: *Tot sunt gradus in linea recta, quot sunt generationes*

et persona, una *dempta*, scilicet communi stipite; hinc pater et filius gradu uno, nepos et avus gradibus duobus distant. At in linea transversa et laterali aliter computantur gradus a jure civili ad successionem, quam a canonico ad matrimonium; nam in ordine ad succedendum tot censemunt esse gradus consanguinitatis, quot sunt personae collaterales, dempto stipite; unde juxta jus civile duo fratres, vel due sorores, vel frater et soror sunt consanguinei in secundo gradu, frater et fratris filius in tertio, frater et pronepos ex fratre vel sorore in quarto et sic deinceps; in exemplo enim primo due sunt personae collaterales, in secundo tres, in tertio quatuor. Sieque deinceps pergendum est. Porro in ordine ad successiones hæreditarias computatio graduum, prout a jure civili instituta, etiam in foro Ecclesiastico observanda est, sicut vicissim computatio graduum in ordine ad matrimonium instituta a jure canonico in foro civili tenet. His positis ordo est sequens:

1º. Exclusis aliis succedunt fratres et sorores germani, sive duplicitis vinculis, ab utroque parente conjuncti in capita; si vero unus sit premortuus, relicti ab eo liberi in stirpem; si vero omnes fuerint premortui, succedunt liberi in capita. Ratio primi est ex Nov. 118.: secundi est a jure representationis juxta communem alias regulam: tertii ex Constit. CAROLI V. in comitiis Spirensibus anno 1529. §. 38.

2º. Si non adsint fratres germani, succedunt fratres unilaterales, tam uterini sive ex eadem matre, quam consanguinei sive ex patre geniti, si utrinque classis adsint, ac probabilius æqualiter in omnia defuncti bona. Ratio hujus contra alios est, quia postquam bona pervenerunt ad filios, desinunt esse bona paterna, vel materna, et fiunt bona fratris; ad hæc vero, deficientibus fratribus germanis, uterini et consanguinei semper admittuntur æqualiter. Nov. 118. c. 3. Auth. cessante, et duab. sequ. C. de legit. hæred. L. 2. ff. de suis et legit. hæred.

Nec obstat L. 13. C. de legit. hæred. ubi, exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre fratres, vel sorores sint, eos solos vocari oportet; ut proin excludantur ab uterinis fratribus consanguinei a successione in materna bona; nam L. 13. cit. correcta est per Novell. 118. qua Imperator uterinos et consanguineos fratres, et post hos agnatos et cognatos æqualiter ad succedendum vocat.

3º. Deficientibus demum fratribus ac sororibus, et natis ex his liberis, ad successionem vocantur consanguinei gradu proximiores in capita, exclusi semper remotioribus; non usque ad gradum decimum solummodo (qui §. ult. Inst. de success. cognat. solum exempli causa, pro gradu remoto quo-cumque) sed in infinitum. Ratio prioris ex Nov. 118. Authh. citt. sumitur; posterioris ex L. 4. C. de bon. vacant. qua tum demum bona defuncti ad fiscum pertinere dicuntur, si nullus ex sanguinis linea longissimo jure apparet; ergo a jure nulli sunt positi graduum limites.

178. Si quæras: An, et quod jus succedendi competit fratribus legitimis tantum? legitimatis? illegitimis?

R. Ad 1º. Legitimi tantum, si sunt in potestate adoptantis, ut arrogati, aut ab avo materno adoptati, sibi succedunt perinde, ut fratres consanguinei; unde a germanis excluduntur, non ab agnatis; securus est de cognatis;

cum in matris potestate non sint. Si non sint in potestate adoptantis, ut adoptati ab extraneo, neque succedunt. Hinc soluta adoptione semper exspirat hæc successio. STRYCK. Diss. cit.

R. Ad 2º. Vel sunt legitimati per subsequens matrimonium; et succedunt cum legitime natis æqualiter, adeo ut propter duplicitatem vinculi unilaterales excludant. Vel per rescriptum principis; et tunc si concurrant inter se, succedunt æqualiter; si cum fratribus horumque liberis legitime natis, non succedunt, nisi ante illorum nativitatem legitimati fuissent. Hoc casu tamen jure unilateralium gaudebunt. Vel per oblationem curiae; et non succedunt.

R. Ad 3º. Si sint naturales, et consanguinei, qui habent patrem communem, nec sibi invicem, nec aliis succedunt; quia nec agnati sunt, nec cognati: non agnati; quia agnatio, juxta jus civile, ex solis nuptiis justis oritur, §. 12. Inst. de Nupt.: non cognati, quia hæc per matrem contrahitur; sed in casu mater diversa est. Si naturales uterini, succedunt et sibi, et omnibus per matrem cognatis, etiamsi alii legitime nati adsint. Hinc excludunt patruellem; a germanis tamen excluduntur, L. 2. ff. unde Cognati. Sic quoque spurii, jure civili tales, succedunt cum naturalibus, non tamen fratri unilaterali illustri. Si denique nati ex damnato coitu, non succedunt. Similiter sine liberis mortuo eo, qui ex damnato coitu natus, non admittuntur ejus fratres, non solum uterini, sed neque ex legitimo procreati matrimonio; sed succedit fiscus, vel magistratus politicus; atque ita judicatum in camera, teste MYNSYNGERO Cent. 3. Observat. 91. Cujus rei licet non extet textus apertus, ex iis tamen deducitur, quibus asseritur, hujusmodi natos nullum habere consanguinitatis jus, neque dignos esse filii aut fratris nomine.

179. Dico VI. Quod si neque collateralium quis extet, marito succedit uxor, et huic maritus, L. unic. C. Unde vir et uxor. Clerico autem, si beneficium aliquod habuit, Ecclesia, in qua habuit; hæc enim beneficiato loco uxor est, Can. fin. Caus. 12. Q. 5. Demum, si nemo adsit hæres, succedit fiscus, laicus quidem defuncto laico, L. 1. et 4. C. de bon. vacant. Clerico, si non ministravit in aliqua Ecclesia, fiscus Ecclesiasticus. Gloss. in c. sed hoc. h. t. juxta vulgatum: quod non capit Christus, rapit fiscus.

180. Si quæras demum, in quibus differat Jus provinciale Franconicum a jure communi, quantum attinet ad dicta hactenus de jure hæreditario?

R. 1º. Quoad legitimam differt in sequentibus: 1º. Juxta jus commune filius nullum jus in legitima habet vivente adhuc patre, L. dudum. ff. de contrah. Empt. At vero de jure Franconico multi extant casus in Ordin. Provinc. Francon. part. 3. tit. 31. quibus obstringuntur parentes in vivis, dare liberis legitimam, cumque his dividere, quos exacte recensuit Cl. DEMERATH in Fascic. Differentiar. Jur. Comm. et Francon. part. 2. different. 2.

2º. De jure Franconico parentes post divisionem non habent legitimam in bonis liberorum; ante divisionem vero et assignationem legitimæ in vita habent parentes legitimam etiam in bonis filiorum castrensis, nisi conjuges hæc bona sibi invicem reliquerint. Ordin. cit. Tit. 36. §. 1. Tit. 39. §. 13. Tit. 19. 27. §. 3. et 4.

3º. Jure Franconico legitima quocumque titulo relinquere potest, *Ordin. cit. part. 3. Tit. 48. §. 3.* De jure vero communi necessario relinquere titulo *institutionis*, constat ex dictis supra Artic. II.

4º. Jure eodem Franconico non solum patri, sed etiam matri, pupillariter avia substituere permisum, et conjux conjugem potest a liberorum legitima excludere, *Ordin. cit. Tit. 43.* Secus est de jure communi, quo potestas substituendi pupillariter negatur matri et avia.

R. 2º. Quoad successionem ab intestato, 4º. juxta jus Francon. *Ordin. Prov. cit. Tit. 76. §. 2.* liberi per receptionem legitimae a bonis parentum separati excluduntur ab iis, qui receptione legitimae separati non sunt; hi enim tunc soli, exclusis ceteris, ab intestato succedunt parentibus; quo etiam privilegio ii gaudent, qui receptam legitimam rursus in communem massam contulerunt. *Tit. 7. 8. 35. §. 1.*

2º. Nepos ex spuriō avo suo non quidem succedit regulariter de jure communi; at tamen Franconico, *Tit. 82. §. 2.* Quo jure etiam illegitimi liberi non succedunt matri una cum legitimis, sed ab his excluduntur. *Tit. 82. §. 4.*

3º. Quamdiu superstes est ascendentium aliquis, nunquam collateralibus desertur haereditas, *Tit. 83. §. 2. et 3. item Tit. 86. §. 1.* ita ut, si defunctus separatus fratres habeat et sorores, ne quidem vocentur.

4º. Superstes conjux, altero sine liberis mortuo, praeter medium partem bonorum acquisitorum lucratur pro portione statutaria quartam partem de bonis præmortui conjugis. *Ordin. p. 3. Tit. 88. §. 4. 12. 13., etc.* Demum jure Franconico unio sive parificatio prolium passim viget, ut adeo liberi ex diverso matrimonio succendant æqualiter utrius parenti.

CAPUT IV.

DE POSSESSIONE.

Possessio vel a pedis aut *pedum* positione, *L. 1. ff. de acquir. Possess.* quod positione pedis frequenter capiatur; vel positione *edium*, quod in re possessa ponatur quasi sedes, nomen tulit. Sumi potest objective et formaliter. *Objective*, est res possessa, quo sensu res nostre dicuntur possessiones nostræ: *Formaliter*, significat formam, a qua quis dicitur possessor, et res possessa. Possessio formalis alia dicitur *juridica*, est vera formalis secundum leges possessio habens effectus juris; alia *non juridica*, estque physica duntaxat, sine possidendi animo, rei detentio; unde etiam *asinina* vocatur, quod, sicut asinus saccum portat sine animo illum habendi ut suum, ita talis rem teneat. Hie solum de juridica disseremus.

ARTICULUS I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT POSSESSIO?

181. *Nota.* Possessio juridica est genus ad possessionem justam, quæ vocatur possessio *juris*, et possessionem injustam. Possessio sic generice sumpta, ut abstrahit a membris dividentibus, vocatur *possessio facti*; unde possessio injusta vocatur *possessio facti specifice talis*, sive pura puta *possessio facti*, carens possessione *juris*, h. e. justa. Hinc non satis apte possessio in genere definitur: *jus insistendi*; non enim convenit possessioni injustæ, quæ, licet non sit possessio *juris*, imo sit contra *jus reale* alterius, est tamen possessio juridica. Hac observatione retenta, facile dignoscet discrepantes auctorum possessionis definitiones et acceptiones.

182. *Dico I.* Possessio facti in genere est detentio rei vera, vel ficta, corporis, animi et juris adminiculo. Ita communiter *Jurisconsulti*.

Dicitur 1º. *Rei*, quo nomine non solæ intelliguntur res corporales, sed etiam incorporales, ut sunt census, beneficia Ecclesiastica, jura, quæ a Theologis dicuntur possideri, a Juristis *quasi possideri*.

2º. *Detentio vera, vel ficta*; quia, ut quis aliquid possideat, necessum est, ut hoc per se, vel alium occupet; si occupatio fiat manibus in rebus corporalibus mobilibus, aut pedibus in re immobili, ut ponendo pedem in fundo, erit *vera*; *ficta* autem si ex dispositione, vel fictione juris; sic infans dicitur possidere; sic possides fundum oculis, si vendor tibi dicat: fundum, quem vides, traditum tibi volo, *L. 1. §. 21. ff. de acquir. Poss. ubi: Non est enim corpore et actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis et aspectu*; et in specie datum exemplum, *L. quod meo. §. si venditorem.* Idem est, si loco rei, tradatur annulus, clavis, instrumentum.

3º. *Corporis, animi adminiculo*; non enim ad possessionem juridicam sufficit apprehensio mera sive vera sive ficta, alioquin quidquid tangerem, vel pede calcarem, etiam possiderem; sed insuper requiritur, ut quis rem apprehendat animo sive intentione habendi ut suam. Necesse tamen non est, ut rem detinens suam esse judicet; nam etiam injustus possessor, vel fur vere juridice in ordine ad aliquos effectus civiles, ut dicemus, possidet; sufficit ergo ea intentione detinere, ut quis, saltem quoad externam apparentiam, habeatur dominus.

4º. *Juris*, non hoc sensu, quod debeat adesse justus possidendi titulus, aut positive a jure approbari; sed requiritur et sufficit, ut jus saltem positive *non resistat* tali apprehensioni, licet injuste cœpta sit; unde adhuc fur possidet, quia haec possessio non irritatur; et contra laicus, licet rem sacram defineat animo eam habendi sibi, eam non possidet juridice, quia haec possessio est irritata a jure *L. 30. ff. de acquir. Poss.* Idem est de bonis publicis. Unde nec eae res præscribi possunt.

183. *Dico II.* Possessio *effective* sumpta, sive ut est effectus possessionis facti et juris simul, vel possessionis justæ, est ipsum *jus reale* possidendi; aut quatenus possessio est juris realis species, ac definitur: *Jus insistendi alicui*